



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 51. Epistola Pragensis Universitatis ad Parisiensem Facultatem  
Theologicam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII., Spe & Charitate conjunctis precibus  
 A. C. 1730., mur æternam. Datum Coloniae Agri-  
 pinæ in Congregatione Concilii Theo-  
 logici specialiter indicta pridie Nonas  
 Martii 1731.

*De Mandato Domini Decani &  
 Magistrorum Sacrae Facultatis  
 Colonienfis.*

*Cereon Arnold Schaubert  
 Universitatis Colonienfis  
 Secretarius.*

§. LI.

*Epistola Pragensis Universitatis ad  
 Parisienses Theologos.*

**H**aud segniore humanitatis affectu in-  
 gens suum gaudium testabatur  
 Universitas Pragensis, quæ pariter ad  
 Sorbonæ literas præfatâ die & anno  
 sequens transmisit responsum:

Quod in conjunctionem gaudii, &  
 in partem de plenitudine consolationis  
 & exultationis suæ, quam sapientissi-  
 mi consilii sententia & æquissimi iudicij  
 Decreto pro Gloria Unigeniti Dei Filij  
 congregata in unum, Sacra Facultas  
 concepit. Nos evocare libuerit, No-  
 biscumque uberrimos sanctæ Lætitie  
 fructus in Spiritu sancto conceptos in  
 veri-

veritate, atque Charitate partes com-  
 municare placuerit, grandis exulta-  
 tioni Nostræ accrevit portio, inexpli-  
 cabilis exhilaratio, ingensque in Nos  
 propensi sacræ Facultatis affectus æsti-  
 matio, & veneratio, & utriusque ar-  
 gumentum excrevit: Unanimiter pro-  
 fusis gaudiis ex abundantia cordis ex-  
 hilarati pariter in consummatione gau-  
 dii congaudemus: *Ecce quam bonum &*  
*jucundum in Domo Divinæ Sapientiæ ha-*  
*bitare in unum, in Charitate congregari,*  
 & consentire in veritate. Impense gra-  
 tulamur ad unum omnes sacris Co-  
 mitiis, super quæ Spiritus *Veritatis &*  
*Charitatis* ita descendit, ut dissensionem  
 nullus relinqueretur locus, neque ullum  
 foret votum; sed sola Pax & Tranquil-  
 litas recto intellectu & bono affectu col-  
 ligeret calculos & suffragia, quibus  
 sapientissimi juxta ac Sacerrimi Ordi-  
 nis æquissimum Arbitrium probatis &  
 approbatis sententiam ferret. Non sa-  
 tis dilaudare valemus ardentem Sacræ  
 Facultatis Zelum, neque sufficienter  
 applaudere magnanimæ Declarationi,  
 Justissimæ & sapientissimæ Idææ, atque  
 irrefragabilis Veritatis exemplo, quæ  
 novit pretiosum *a vili* discernere, atque  
 ita ex Prophetico testimonio, quasi  
*or Divinæ Sapientiæ fieri*, quod tam so-  
 lidam argumentandi vim complectitur

Sæc. XVII.  
 A. C. 1730.

Sæc. XVIII. & energiam, ut potens sit irritare, quæ  
 A. C. 1730. contraria, roborare, atque firmare, quæ  
stabilienda & quæ firmata sunt, porro  
 confirmare, & ab omni adverso insultu  
 generose & gloriose tutari; Magna  
 nempe Sacerrimus Ordo Sapientiae ap-  
 paratu est instructus, ut potenti elo-  
 quio, literariisque monumentis nun-  
 quam non capax sit falsas subtilitates  
 enervandi, & evertendi, quibus Apo-  
 stolicæ Sedis Constitutio a malignis  
 conatibus per temporis funesi Asser-  
 tores & Scriptores tentata fuit. Pro-  
 bandus etenim spiritus est non minus  
 Veritatis, quam Charitatis, utrumque  
 nunus sit, ne sub specie Veritatis in-  
 tellectus erret, & voluntas decipiatur,  
 amplissimumque literatæ Virtutis in-  
 probata veritate, & Charitate præco-  
 nium est; hæc namque mali genii est  
 impostura, ut assertis suis perfidam  
 conciliet fidem; hæc rectæ rationi non  
 solum non esse dissona, verum ipsi Di-  
 vinæ Sapientiae consona jactitet, atque  
 eousque temeritate sua procedat, ut  
 velut Auctoritate fidei nixa, mala quan-  
 tumvis fide relatis Divinis testimoniis  
 & majori perversitate in argumentum  
 deductis, roborare divulgareque audeat,  
 & sub specie, quasi pervetustum, &  
 authenticum, quod prorsus novellum  
 & spurium, alleget, invalescenteque  
 lapid

lapse temporum erratico lumine Ca- Sæc. XVIII.  
 thedris, & falsis persuasionibus Aris A. C. 1730.  
 illudat, Maternaque Ecclesiæ viscera  
 in avulsione Membrorum a Capite di-  
 laceret & *Unitatem* falsitate & iniquitate  
 discindendo, veritatem & Charitatem  
 invadat, ut his duabus virtutibus, quæ  
 vitam fovent cæterorum eliminatis,  
 mendacium cum odio concatenet; ne-  
 que perversitate judicii proprii contenta  
 iniquitas sibi mentiens, ne mentiri  
 quoque censeatur aliis, solique sibi vi-  
 deatur sapere, consequenter desipere,  
 falsum loquens testimonium, facit caus-  
 sam communem, & errorem suum sen-  
 tentiam esse Præclarorum Virorum, &  
 Sapientissimorum Magistrorum Doctri-  
 nam impudenter adstruit, ita perverse  
 sua minuens & obvelans errata.

Verum non est Consilium contra  
 Divinum Spiritum Veritatis sacræ Fa-  
 cultati provide assistentem, quæ sapien-  
 tissima perspicacitate & illustri pruden-  
 tia fraudes errantium, & fraudulentor-  
 um errores detexit, & de crimine falsi  
 magnæ Auctoritatis argumentis, & so-  
 lidis sinceræ veritatis literatis monu-  
 mentis convicit; Sapientissimi enim  
 deputati Magistri ad stuporem attoniti  
 primum ad impactas sacræ Facultati  
 calumnias hæserunt, quando inspectis  
 erroneis commentariis; intuiti sunt de-  
 colo-

Sæc. XVII.

A. C. 1730.

coloratam, ac deformem factam sacre  
 Facultatis Doctrinam: *Ecclesie capituli*  
*conclamatum esse Auctoritatem, unum Con-*  
*cilium Generale velut supremum iudicium*  
*Controversiarum habitum, læsam Summi*  
*Pontificis & Episcoporum Sacram digni-*  
*tatem, Presbyteros simplices Episcopis æ-*  
*quatos, iudicium in res fidei ab ipse*  
*etiam Laicis esse vindicatum, & usurpa-*  
*tum; attamen tantas tam illustri sacre*  
 Facultati asperfas tenebras justissima  
 Zelo non patiens, clarissima Veritatis  
 luce proflus oppositum se sentire corde  
 & animo, calami & vivæ vocis firme  
 mentis, etiam jurejurando hoc asserere  
 parata, est contestata, firmissima meo  
 tis sententia sacra Facultas declarans  
 Se constitutionem *Unigenitus* tanquam  
*Judicium & Decretum Dogmaticum Uni-*  
*versalis Ecclesie* simpliciter secundum  
 tenorem assertæ Constitutionis, secun-  
 dum mentem & sententiam Sedis Apo-  
 stolicæ ad supremum a primo apicem  
 recipere; & hanc laudare, & appro-  
 bare in omnibus, jubere, ut inferatur  
 suis Commentariis, atque etiam man-  
 dare typis, & Latino & Patrio sermone  
 divulgare, statuereque, ut recitetur  
 in Cathedris, neque ullus sacre Fa-  
 cultatis ullum obtineat gradum Digni-  
 tatis, qui eidem *sacre Constitutioni* se  
 firmiter assentiri plenam fidem non fa-  
 ciat, & Sacramentum dicat.

Non

Non tamen hæc ita intelligimus, Sæc. XVIII.  
 quasi vero data Declaratio tacita prio- A. C. 1730.  
 ris sententiæ foret revocatio, sed esse  
 sapientem confirmationem sentimus,  
 quando iam dudum & multis abhinc  
 lapsis annis sancta hæc Constitutio a  
 sacra Facultate plena fide fuit recepta,  
 ita enim inter sua Decreta sub Num. 2.  
 & 3. sacra Facultas sanctum habet:  
*Attendendo ad gravissima rationum mo-  
 menta, quibus abunde constat Decretum  
 sacri Ordinis latum diebus quinta & de-  
 cima Martii 1714. verum esse ac genui-  
 num, illud iterum de novo suum facit,  
 & agnoscit immerito prorsus fuisse decla-  
 ratum falsum, adulterinum, & commen-  
 titium, atque idcirco vult, ut nulla ha-  
 bita ratione Lituæ factæ 4. Jan. 1716.  
 quantumvis per nonnullas conclusiones pro-  
 bata videatur, illud Decretum suum omni  
 robur habeat, & hac præsentis Conclusionis  
 in integrum restitutum censeatur necnon  
 quæcumque contra ipsum tentata subinde  
 sunt, penitus deleantur, & eradantur,  
 adhibita mentione ad marginem præsentis  
 Conclusionis; & notanter, quod sequi-  
 tur, respeximus Decretum: Constitu-  
 tionem sanctissimi Domini Nostri Clemen-  
 tis Papæ XI. datam die 8. Septembris  
 Anno 1713. quæ incipit: Unigenitus Dei  
 Filius summa cum reverentia, & integro  
 cordis & animi obsequio, iterum & de*

Sæc. XVIII. *novo amplectitur tanquam Dogmaticam*  
 A. C. 1730. *Ecclesie Universalis iudicium.* Atque ut  
 clarius sinistram obscurioris famæ sacra  
 immutet Facultas, & de se avertat  
 iudicium, sapientissimo prosequitur De-  
 creto: *Provocationem, seu Appellationem,*  
*quæ legitur, & circumfertur sub Nomine*  
*sacrae Facultatis a prædicta Constitutione*  
*Unigenitus ad futurum Generale Conci-*  
*lium die 5. Martii Anno 1717. interjecta*  
*præsenti Conclusionem, quantum opus est,*  
*revocat, pro nulla haberi jubet, cassat,*  
*& antiquat, atque a suis Commentariis*  
*vult, & imperat eradi & expungi, nec*  
*non alios omnes actus prædictæ Consti-*  
*tutioni adversantes.*

Quæ singula universim ut publicè  
 juris fiant. Sapientissimum fuit sacrae Fa-  
 cultatis desiderium; amant enim latere,  
 qui male agunt, ea vero, quæ optima  
 sunt, latissime diffundi, æquum est;  
 proinde gloriosa hæc Comitata non sunt  
 tam deliberantium, quam in unitatem  
 fidei pro plenitudine *Dogmaticæ Verita-*  
*tis sancte conjuratorum sacra Congre-*  
*gatio, ut, si qui forent adhucdum*  
*dissidentes, eos dissertatione pacifica*  
*Veritatis Auctoritati reconciliet; Offi-*  
*cia enim Magistri fidelium Magnus Sa-*  
*pientia, & sanctitate Ecclesie Doctet*  
*describens Aurelius Augustinus ad tri-*  
*potissimum reducit capita, videlicet:*



Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

ut tollat errorem, inserat veritatem, & nutriat Charitatem. Neque enim satis est luminosam possidere scientiam, verum etiam ingenii dexteritate ornatam esse oportet; ita, ut veritatem, quam docet jam illustratam, aliorum intellectui quoque reddat conspicuam; cum enim, ut idem Divus observat Hipponensis Præsul, Doctori laborandum sit ad dissipandas ignorantiae tenebras, lucem afferendo mentibus, ut appareat, quod latebat: Exhibenda pulchritudo, & suavitas Virtutis, ut ametur, atque austeritate sublata, quæ illius desiderium & spem in animis hominum retrahebat, tam scite insinuare, ut in ejus amorem prona invitetur voluntas; ut libeat, quod horrebat. Quia tamen persæpe ignavia mortalium utut in aliis ardentia & prona sufflaminat corda, ut viribus amissis bonum cognitum, quod quidem amant, minime tamen inquirant, & amplectantur, ideo generosum robur illis infundendum est, quo ad vincendum, quidquid arduum in exercitio virtutis occurrit, animentur, & fiat, quod pigebat.

Atque ita nihil dedecoris sapientissimo accedit ordini, nihil omnino labis sacrae aspergit Facultati, quod nonnulli a tanta sint alieni sapientia, ut dissentiant; cum Veritas & Virtus in suis

Sæc. XVIII. principiis tam solide sit fundata, ut etiam aliorum errore, ac vitio non cesset esse laudabilis, quando hoc, quod commendabile est, ex aduerso illaudabili amplius & consummatius illucescit; neque tamen, ex hoc cogitamus dissidentibus nonnullis exaggerare, quod erroneum est, sed invitare, ut sacræ Facultatis sapientissimæ sententiæ consentiant; non erit ignominia errantes resipiscere, dissentientesque consentire veritati, sed magnæ Gloriæ; quod & ipsum, dispari licet casu, magnum Ecclesiæ Lumen comprobatur Augustinus, qui dubium erudito reliquit Orbi; utrum Major fuerit in sublimitate in Libris sapientissimis toti commendatus, & celebratus Orbi, an Gloriosior in humilitate in Libris retractationum; attamen lugenda, & nimis quam lugenda fors est illorum, qui a Sapientissimis Magistris se avellunt, sanæ Doctrinæ & irrefragibili veritati, atque Canonizatæ Auctoritati dissentientes, nunquam de vera Theologica habuerunt Sapia, sed esse apparebant, ut de aliis spiritui Veritatis dissonis Magnum Galliæ Nomen Mellissius Doctor suam prompsit sententiam; *a nobis abierunt, quia non fuerunt de nobis; ita nimirum aberrant, qui nimium lucis suæ ingenio præfisi, dilucidæ obscuritati*

tati fidei, quæ magnum cæteroquin recte agendorum lumen est, humiliter captivantes intellectum in obsequium infallibilis Magistræ Veritatis, se non submitunt; atque hinc magno Veritatis videre coguntur dispendio, lumen suum tenebris involutum esse, non attendentes Evangelicum Documentum sibi datum in cautelam: *vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint, simplici* nempe hi destituuntur oculo a Patre luminum illustrato, & volentes nimium esse perspicaces, impingunt, & in multis offendunt, libertatique suæ, quam nimis libere tueri meditabantur, præjudicant, quando etiam libertatem conscientia hæretica pravitas obtrudit contra legis vigorem, quasi vero ad commendandam libertatis immunitatem, necessum foret inducere licentiam quidlibet audendi.

Ex quibus facile liquet Sapientissimi Magistri, quis de sacro vestro Ordine sacrae Facultati Theologicæ, & Universitati Carolo - Ferdinandæ Pragensi sit sensus & sententia, patetque ex declaratione animi Nostri, utrum gloriosæ famæ Magnorum Magistrorum Sapientissimæ Sorbonæ, quod subme-  
tuebatur, labe aiusdam diffamationis sit præjudicatum; nunquam in Animum Nostrum ita induci valuit rumor  
etiam

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

Sæc. XVIII. etiam literariis monumentis commi-  
 sus, ultro, citroque divulgatus, qui  
 A. C. 1730. ~~in~~ solemnem in Sorbona volebat esse  
 Constitutione *Unigenitus* proclamatio-  
 nem & provocationem *ad universale Con-*  
*cilium*, ut fidem inveniret apud eos,  
 apud quos sacri Collegii Theologici  
 Sorbonæ magnum semper & gloriosum  
 fuit Nomen: Neque quod temeritate  
 vulgi ex lapsu privatorum toti adscribitur  
 Ordini, Academicæ Sapientie  
 fuit, nec esse potuit iudicium, nisi  
 quoque Collegium Apostolicum ex de-  
 fectu particulari quis ausit infamia no-  
 tare; nequivit proinde funestus Mercu-  
 rius sacræ Nostræ Facultatis ita obti-  
 nere aurem, ut, qui alios Nuntio suo  
 reddidit attonitos, apud Nos suspicio-  
 nem imo iudicium falsi rumoris nos  
 subiret: Quanta enim sint incrementa  
 Gloriæ Sapientissimæ Sorbonæ, & sacri  
 Ordinis Vestri celeberrima quidem &  
 Antiqua, nunquam tamen antiquata,  
 & in veritatis contestationem respiciantur  
 tempora, revolvantur acta, legantur  
 Scriptorum Monumenta, Majorum,  
 & succedentium attendantur Testimo-  
 nia, & his eruditus compertum pro-  
 batumque edicet, sapientiam hic  
 ita Sedem fixisse, ut Emporium foret  
 Literatorum, tantæque sæcunditatis,  
 ut Universitas Parisiensis multarum  
 aliarum

aliarum Universitatum esset Mater, <sup>Sæc. XVIII.</sup>  
 gloriosos edens Partus, qui Nobilissi- <sup>A. C. 1730.</sup>  
 mos suos Natales suspiciunt in avitæ  
 Sapientiæ Sorbona, & grata venera-  
 tione complectuntur: Hinc & Gloriæ  
 sibi ducit Universitas Pragensis sub  
 gloriosissimæ memoriæ Augustissimo  
 Carolo hujus Nominis IV. Universita-  
 tem Parisiensem in Tripolim Pragenam  
 ex parte Colonias duxisse; quin imo  
 & toti Ecclesiæ utilissima fuit, ut ita  
 se non solum Sapientissimam, sed &  
 Christianissimam comprobaret, quando  
 non solum Doctores, sed & Sanctos  
 educavit, & enutrivit? Exinde obli-  
 gata est Sorbonæ Schola subtilis,  
 quod *sanctum Doctorem* habeat Se-  
 raphicum; obligata est Schola Tho-  
 mistica, quod *Angelicum* suum nata-  
 sit *Doctorem*; obligatus est Religiosus  
 Nostræ minimæ Societatis Ordo In-  
 clytæ Sorbonæ, quæ primos cum  
*sancto Fundatore Patres* non sine laureis  
 Theologicis sapientiæ gloria & honore  
 coronavit.

Absit itaque tam illustrem totque  
 Titulis gloriosorum meritorum incre-  
 mento, Divinæ gloriæ, fidei salvificæ  
 emolumento conspicuam sacram Fa-  
 cultatem ignominie maculis, ceu ab  
 Excelsis Majorum cogitationibus de-  
 generem obscurari. Sacra Facultas,  
 &

Sæc. XVIII. & facerrimus Ordo vester gloriam suam  
 A. C. 1730. & honorem factis tuebitur, Nos sermo-  
 gloriosis his facinoribus insistente in  
 tate fidei & conjunctione cum Auctoritate Co-  
 pitis Ecclesie defendemus, ut dissipatis mi-  
 nus recte sentientium nebulis sua cha-  
 ritas reddatur veritati; & abolitis dissi-  
 dentium nævis sua firmitas restituatur  
 charitati; proinde corpore quidem di-  
 visi, veritate tamen & charitate con-  
 juncti pro gloria Unigeniti Dei Filii  
 conspiremus, sub cujus gratiosissimis  
 Auspiciis Dogmaticum sacre Constitutio-  
 nis Decretum suum sumit exordium;  
 Conatus & studia nostra in spiritu Veri-  
 tatis & Charitatis unita Divina Sapien-  
 tia, quæ fons & princeps Caput Ar-  
 gumentorum est Theologicorum (Theo-  
 logia enim ex notione sui Nominis  
 de Deo & ex officio pro Deo loquitur)  
 principaliter largissima benedictione  
 firmiora reddet & in terris Divinæ Sa-  
 pientie Vicarius Clemens XII. Clemen-  
 tissimam Antecessoris Constitutionem fir-  
 missime propugnantes sanctissime pro  
 utriusque Facultatis incremento bene-  
 dicens, corroborabit, Sacro - Sanctum  
 semper tenentes, & continuo retinen-  
 tes, quod dogmatice constitutum est  
 repetere enim crebrius, quod rectum  
 est, non est de veritate deliberare, sed  
 quod firmissimum est, affirmare, & con-  
 firmare.

Quod

Quod autem intervallum Respon- Sæc. XVIII.  
 foriis ad acceptissimas Nobis interposi- A. C. 1730.  
 tum sit, erat opinione Nostra ex ipsa  
 voluntate sacræ Facultatis, cujus de-  
 claratione accepimus, omnibus suum  
 innotescere velle salutare Decretum, fir-  
 mamque de Constitutionis *Unigenitus* ac-  
 ceptatione sententiam, proinde ad men-  
 tem sacri Ordinis, hanc pluribus lite-  
 ratis facultatibus communicatam vo-  
 luimus, ut si forte apud quospiam fini-  
 sterior foret opinio, in redintegratio-  
 nem Gloriæ plene obliteraretur, atque  
 ita Nostram, & plurium aliorum præ-  
 sentibus sacræ Facultatis æstimationem  
 manifestam manifestius consiguamus.  
 Insuper & typis mandavimus, ut im-  
 pressius extaret, & indelebiter inte-  
 gerrimæ Sententiæ perseveraret Mo-  
 numentum.

Repetitis proinde Votis incrementa  
 Divinæ gratiæ & gloriæ, jugem pro-  
 speritatem, perennem splendorem, &  
 excellentiam sempiternam ex animo  
 Facultas Theologica Pragensis sacræ  
 Facultati Parisiensi precatur, & com-  
 precatur.

Datum Pragæ Pridie Kalendas  
 Martii Anno reparatæ Salutis humanæ  
 supra millesimum septingentesimum  
 trigesimo primo.

§. LII.